9

XIV.

Fr. MAVROLYCI. De Piſcibus Siculis

39

ANOSCRITTI
Magl.
XIV
39

SEZIONE MAGLIABECHIANA
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE
Mss
Magl.
Classe
XIV
Codice
39
Provenienza
Cocchi

1

Tractatus per Epistolam Francisci Maurolyci ad Petrum Gillium

De Piscibus Siculis

D. 39.

XIV

franc. MAUROLYCI

de Piscib. Siculis

Petro Gillio, Franciscus Maurolycus.

Recte animaduertisti huiusmodi negotij difficultatem ut
pote quod a nullo nec veterū, nec recentiorū sit satis
discussum, Equidem arbitror naturam in nullis anima-
tium, q in marinis, fuisse tu varietate, tu magni-
tudine mirabiliorem. Potuisse tamen veteres scrip-
tores diligentius, q fecerint, piscium naturas, magni-
tudines, figuras, colores, ceterasq qualitates describe-
re. Quod si fecissent non esset nobis laborandum.
Nūc autem, qm compluriū, præter nuda nomina,
nihil legimus, atq hæc ipsa vario postmodum loquen-
di usu mutata, difficile est admodum, quo singulæ
species vocabulo apud maiores nros appellatæ sint,
discernere. Qm ergo piscium, quorū in Mamertino
freto piscatio frequens est, nomina et qualitates scire
cupis, ut p lras Joannis bosij ad Joannem Lomelli-
nū datas significatum est; conabor et Lomellino,
qui mihi amicissimus est, multūq me caussa tua
rogauit, et tibi morem gerere. Qui quidem rem precla-
ram, nec mihi solum, sed omnibus etiam literatis gra-
tissimā facturus videris, si ea, quæ de marinis ani-
mantibus, ab alijs parum admiratæ tradita sunt
autoribus, diligentissime complectaris. Et libentius
non solum patriæ meæ, sed Insulæ quoq totius pi-
scationes tam marinas, q fluuiales, cetarijs atq
indigenis consultis, sum p scrutatus. Verum dabis
ueniam sicubi, grecorū aut latinorū defectu, cogar
uti sicanis uocabulis: Quanq non exibeo hæc q̄a
absolutissima. Quicquid in curia mea fuerit omissū,
supplebit diligentia tua. Itaq ut taceam orcas, ory-
ges, Balenas, Rotas Physiteres, Phocas, Delphines,
et ceteras belluas, quarū pleraq nō in siculo tm,
sed in toto passim pelago uisuntur. dicam ī primis
de spatho pisce.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1883

Spathus piscis Cita uulgo siculis uocitatur: qui a grecis ξιφίας,
a latinis +Gladius dici solet ob id, q̃ osseo telo, quasj ense
acuminato, sit armatus. Corpus habet longum ac teres,
pinnas raras in tergo, caudam lunatam, qualem del
phinus. huc Strabo uocat Galeotam. Idem ait cane
et Galeotas thynnorum uenatu pinguescere. Constat spa
thum piscem appendis libris. CCL. eius uenationem
exerceri in Mamertino freto Scylleoq; tractu hoc ordi=
ne. Speculator astat supne, siue in fastigio mõtis
pelago imminentis, quales multj sunt in Bruttiorum lit
toribus, siue in sũmitate mali nauiculæ cuiuspiã
ad id conducte. Hic piscem conspicatus signũ dat
scaphæ sexiremem uelocissime: in qua circiter octo
sunt iuuenes quorum sex pluresue remigant. unus
in prora stat, cũ telo hastato paratus, hastam esse
longitudine XIIIJ. pedum. ferrum uero hamatum,
itaq; constructum, ut incussum coeat in acutũ: tractũ
uero, dum repanditur, educi nequeat. Ille pcusso
cominus pisce, qui Scaphæ, quasi lusurus propin=
quat: hasta simul cũ ferro relicta in uulnere:
funem iampridem hastæ alligatum, irritatæ ac suffu=
gitantj belluæ lentando protendit, et tam diu submini=
strat, donec agitatam lassetur tum demum eam fune
retractam rursumq; fiscinis petitam in Scapham recipi.
Hac nos uenationem in freto nro quotañis fieri uide=
mus. sed eam esse antiquissimã Strabo testis est.
quippe qui in primo Geographiæ libro, nõ multo ab his
diuersa refert. Spathus piscis & carnis candore, et
saporis grã Thynnum superat.

Thynnus

Thynnus, uulgo Thrinnus dr, piscis notissimus, antiquũ
adhuc nomen seruat. Spatho pisce breuior ac crassior
siue corpulentior, postremo in acutius tendenti, et eius=
dem ferme ponderis. Thynnorum piscatio in gaditano
freto celebratissima: sed et in plerisq; siciliæ locis exer=
centur p æstatem totam, vcz Milis, Thyndaridæ iuxta
oliuerium castellum Caroniæ, Cephaludij, soloente præ=
sidio, Panormi et in alijs locis lateris septentrionalis,
quo id obusum sit piscibus ab herculeo freto irrũpen=
tibus. Ad Thynnorum uenatũ construitur ingens acro
bustum rete, ex torto uimine ac canabe. Eo inclu=
duntur Thynnorum multitudo: Tum circũfusis ũdiq;
scaphis, cæduntur passim pisces, et in Scaphas reci=
piuntur. Thynnus nigricantem ac cruentam habet
carnem, Saporem ferinum: et pinde salsamento est
multo aptior. Constat Thynnariam seu mauis ce=
tariam Mylarum conficere copulas siue cadiscos sal=
samenti. CCCC. Eam quoq; locari aureis tricentis.
Eumq; prouectum esse Nicolaj Jacobi saccanj Messa=
nen patritij.

Dottus piscis est siculo freto peculiaris, longior ali=
quanto, q̃ latus, colore subruffo seu leonino, molliori
cute, ac corpulentior, q̃ pagurus, uarij ponderis.
ut maximus tamen non excedat libras CCL. huc
expiscantur hamis duobus adessatis pisciculo quo=
piam, quales sunt uopa, Acus Haleces. Dottus esse
inter pisces sapore præcipuos, carne candida; ac te=
nerrina, et in Mamertino freto plurimũ, Constat,
Petis huius picturã: expectandus est aprilis quo

tempore

tempore capi solet piscis, ut captus a te pictore sistat.

Pagurus ὁ πάγουρος grece dictus, piscis est latus, lō-
gior tamen, q̃ latus, minutis lucidisq; squāmis.
Maximus non excedit libras XXXX. ad hor cap-
tionem paratur restis, seu funiculus, cum hamis
circiter. CL. in seriem dispositis (Concium uulgo
uocant) hami autem pisciculis, ut pote sardis,
aut uopis adescantur, Hoc ingenio capiuntur ui-
ginti pluresue paguri, Et cum ijs interdū squil-
læ. Congri, Murenæ, Cernuæ, bestinj. Pagurus
carne tenera, nobilium mensis gratissimus.

Halecula siue halecciola, ut uulgo hic uocant, pi-
scis est longus, ac teres, cum pinnulis quibusdam,
ac lunata cauda, squāmisq; minutis Maximus non
egreditur libras. CI. capitur hamis: salubrior
ac prestantior sapore, q̃ spatius piscis.

Cernua græcis ὁ ὀρφός dictus, ut Theodoro placet,
hic uulgo Cernia uocatur: piscis est Dotto simi-
lis, sed colore obscuriori, et ore ampliori. ad sumū
ponderis librarū. L. nec admodū gustui iocundius,
quandoquidem tenaci carne est.

Spinula nobis piscis est longus ac teres. ad sumū
XXX. librarū, Puto huc esse τὸν κέφαλον quē
Gaza latine uocat capitonem. et Jouius Mugilem,
capitur hamatis resticulis, salubri, molliq; carne gratus

Lucius, spinulæ similis, sed exiguo capite ac rostro
acuminato. Huc inter pisces salluberimū audio
et maximū. viij librarū pondere.

Aurata

Aurata, grece ὁ χρυσόφρυς, piscis est paguro similis,
uerum aliquanto breuior ac squāmis auro interlucētib9,
Habet eundem cum paguro, aut paulo inferiorem in mē-
sis locum.

Trigla, uulgo græcum nomen seruat, nam ἡ τρίγλα, est
græcis, latine Mullus, piscis notissimus, rubentibus
squāmis, ac breui corpore, nobis nunq̃ libras duas
ac semisse excedit. grato sapore.

Squilla, quam nos cepe uocamus, piscis rubentiorib9
q̃ Trigla squāmis, et aculeatis pinnis et multo maior
breui corpore, et immoderato capite, precio par Paguro.

Anguillæ ubiq; note, sed quæ in Marmertino freto omniū
nobilissime: ubi adipe insigni ac sapore iocūdissimo,
quandoq; in sūmo fluctu gladio ꝑcusse, Sed ut plurimū
ad littus, quod Messanæ ac Peloro interiacet, eiectæ capiū-
tur. Est oppidum quoddam haud procul a peloro. Pharū dicūt
huius incole rusticj, dum Messanam ueniunt, redeūtue
littoralj itinere, retiatam ferunt plicam, siue retiariā
penulam, conuoluto baculo insutam, cuius iniectu uisā
anguillam capiunt, Hæc nobis inter pisces preciosissima,
et ꝑinde aut diuitibus aut gulosis familiaris. si decē
sit librarū uenit aureo sed XV librarū pondus ad sum-
mum equat. Est Messanæ intra murum littoralem,
Juxta ædem carmelitarum fons tribus canalibus effluens,
aqua sallubri. uulgo puteum leonum uocant. In eo
Anguillæ minutissimæ gignuntur: quas in mare mi-
nimum cum aqua fontis delatas in magnitudinem pre-
ciumq; crescere, fama est.

Bollaces

Bollaces sunt nobis, quos greci πέρκας uocant, parui pisces, lati, breuesq; rubris nigrisq; in transuersum lineis, et ore amplo, et carne molli.

Juliolæ, quas græci τὰς ἰουλίδας uocant, nobis autem uulgo Judiolæ et Jocarellæ. hoc est iocaria dicuntur. parui pisces sunt sardarum ferè magnitudine, ac figura. sed uarijs picturati coloribus, rubris scz nigris, croceis, uiridibus, ceruleis, undulatisq; in longum lineamētis distincti, carne molli non minus gustui, quam uisui grati. unde Regum mentulæ dicuntur a quibusdam.

Sargi, qui et græce οἱ σάργοι, nobis autem uulgo saraci dicuntur, inter latiores numerantur, singulorum pondus libre duę ac semis.

Gaiulæ sunt sargis fermè similes, sed argentatis squamis, nigrisq; lineis in latum uergate, et orè exiguo, et minores.

Murena longitudine similis Anguillæ, sed colore obscuro, croceis notis conspersa, maxima XX. librarum, candida, molli carne ac sapida, græcè ἡ μύραινα. capitur in freto Mamertino, dum exustam solis feruore cutem mergere nequit, ut ait Martialis. quin et in quibusdam rupibus, dum murenæ laticantes de foraminibus caput proferunt, forcipibus apprehenduntur.

Conger anguillæ similis, sed uentre pregnante sapore quoq; haud ingrato. Compertum est congrui æquasse pondere L. libras. Hunc Grungum uulgo dicimus

Beati sunt nobis plani breuesq; pisces: quorum XIJ. æquat pondere V. libras. ex horum nomine Jocus ortus in piscatores: ut beatos à se captos dicentibus, elapsos fuisse beatiores respondeant.

Acus pisciculus longus ac teres, cærulea cute, ab aculeato rostro denominatus: A græcis ἡ βελόνη. uocatur.

Haleces

Haleces uulgo nrō Alaccię sunt pisces sardis omnino similes, sed maiores. ut bini æquent pondere, abundat spinis minutissimis, putant esse αἱ μαινίδες, et haleculæ τὰ μαινίδια, ut Theodorus transfert.

Sardę pisciculi notissimi: quorum piscatio in gaditano freto, apud extremum Hispaniæ promontorium frequentissima: cute cerulea longiusculæ. græcis dicuntur αἱ τρίχιαι. gregatim incedunt, sicut cæteri pisciculi. sapore non insuaui, et salsamēto aptissimæ.

Cicerellę, sic nobis uulgo dicuntur: seu potius circelli, quod conuoluti speciem faciant Inaurium pisciculi sunt quidam lubricis uermibus perquam similes, teretes ad caput, caudamq; acuminati, candidi argenteoq; fulgore conspicui, ac sapore optimo. gregatim incedunt. Horum in Mamertino freto, littoribusq; Messanensis agri prouentus copiosissimus. ad horum captionē retia maculis minutissimis distincta laxari ac demū tempestate cōptū.

Minulæ uulgo nrō, seu rectius menulæ sunt pisciculi longiusculi, quam lati, hebeti colore. quaterni uel terni libram æquant. sunt in mediocri precio.

Mupi sunt Paguri ꝑquā similes, sed multo minores: ut quatuor tresue libram ꝑficiunt, sapore uenusto.

Luuari Mupis omnino similes sunt, sed aliquāto minores.

Salpæ, quæ græce etiam αἱ σάλπαι dicuntur, longiusculi pisces, singuli duarum librarum ac semissis, aureis in longum lineis inscripti.

Sauri antiquū etiam nomen seruant, argentea cute, postrema cauda ualde in acutum tendente. quaterni quinas libras æquant.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE Mss

Scombri a græcis etiam οἱ σκόμβροι, sauris similes, sed
ceruleo colore, dorsoq; nigris undulamentis distincto.
Pelamides uulgo nr̃o palamati uocantur, ἀπὸ τοῦ
πηλοῦ, hoc est a cœno dicti nigricantibus lineis
in longum inscripti. Maximus non preterit libras
xii et semisse. Hic notandum salpas, sauros, scõbros,
Palamides esse de numero ignobilium piscium, et
illaudati saporis.
Smidiræ, sic uulgo nr̃o, græce autem αἱ σμαρίδες ut no-
strum uocabulum a græco tralatis literis factum uide-
atur, pisciculi sunt sardis minoris, colore mænulis similes
Vopę nobis appellantur pisces smidiris similes, sed
ut plurimum maiores ac deteriores.
Muletti, uel Burraces similes sunt spinulis, sed minores
Nam maximus quinq; libras non excedit. gregatĩ
natant. arbitror hos esse mugiles.
Curanellæ sunt sardę minutę, ac pinde uiliores
sparsoculi piscium minutissimi.
Monachelli sunt pisciculi breues ac plani seu lati
nigrentibus squammulis.
Irachina, piscis corpore longo et ore amplo, et car-
ne candida, pondere sesqui libre.
Cornus græce ὁ κόραξ, piscis longus, latusq; ad sũ-
mum quinq; librarũ, fusco colore
Dentatus, ut opinor, is est, qui latine dentex græce
autem συνόδων, a serratis dentibus dictus cetera
paguro similis, quamq; molliori carne.

Aselli,

Aselli pisciculi a nostris dicuntur smidiris similes, colore
ad ruborem declinante. gregatim incedunt. quanuis asellus
aliis alius sit piscis.
Scorpena piscis est breuis, latusq;, uario fuscoq; colore, acu-
leatisq; squamis armatus, carne molissima.
Squatina grece ἡ ῥίνη, piscis. cuius corium asperrimum
buxo et ebori læuigando utile est.
Lappara piscis latus, longiusculus, uirenti colore, pingui
molliq; carne. inde fortasse nomen sortitus. q̃ græce
ἡ λαπάρα, pinguedo sit. Minimus libræ quadra-
tem. Maximus dextantem æquat.
Lampretra piscis murene similis, habet tamen a lateribus
nouena foramina. rarus in nr̃o pelago a lambendis petris dictus.
Calamarius, qui, et loligo, et græce ἡ τευθίς.
polypus græce ὁ πολύπους, a multitudine pedum.
Sepia græce ἡ σηπία, et Totani calamariis maiores
ac duriores, et cæteræ mollium species, quæ atramẽto
efflato aquam turbantes se tutantur. Item
Locustę, Cancri, Cãmari et cętera crustaceorũ genera.
Item Ostrea, Conchæ, patellæ, cochleæ, buccinæ, limaces,
echini, testudines, et innumeræ testaceorũ species tibi
indagande ac describende reliquuntur. nec expectabis
ut exponam.
Garum liquamen ex sconbris, τὸ ταρίχιον, ex cephalis,
Caviarium ex sturionibus siue siluris confectum, oua
thynnorũ sardas, Alec, Arengas et cętera salsamẽtorũ
genera. Consule super his eos, quos gustui potius q̃
ualetudini uacare ac sitis irritamenta quærere delec-
tat. Veniam ergo ad fluuiales siue palustres pisces.

Alosa graece ἡ τρίσσα, ut Gaza transfert piscis alacciae similis, ceruleo colore sed latior et maior, ꝙ alaccia. Minimus libram: Maximus libras duas et dimidiam aequat. Hoꝝ frequens piscatio in Panthaco fluuio, qui octo milliarijs a Catana meridiem uersus distat, eos ē mari fluuium subire certum est.

PALUDES Pelori

Binae sunt paludes inter Messanā et Pelorū, maior et minor, Maior abest ab ipso Pelori acumine, in quo turris est, ad erigendas faces, milliarijs quatuor a littore maris iactu lapidis, a Messana milliarijs octo patet in longum paulominus milliario, latitudine multo angustiori. Haec omnino sterilis.

Minor uero ambitu ferme unius milliarij, abest a promontorio minus ꝙ milliario, Conchis siue conchulis planis non imbricatis abundat: uineis circumsepta. Is prouentus est quorundam phari nomine inquilinoꝝ. Conchularꝝ piscatio in anno toto continua est in ea palude.

Piscium uero aestiua, Cephalos enim et acus ibi capi certum est: quo fit, ut non temere creditum sit, paludis alueum habere subterraneum meatū ad pelagus. Quam suspitionem auget Delphinus quoque in ea uisus et eius in pelagi tempestate tumor obseruatus.

VIVARIUM Leontinum

Viuarium nobile est in Sicilia in ipso Leontino agro, abest ab oppido Leontinis millibus passuum duobus: a littore maris quatuor patet in circuitu duodeuiginti.

Aqua

Aqua profunda est pedes xiiij. Iacent in medio insulae duae in quibus cigni nidificant Viuariū ipsum potius lacus est nam fluuius in ipsum ingreditur et egreditur et in ingressu, obiice manufacto, pedum XVIII crassitudine aquam retinente, defluit binis meatibus siue aquae ductibus, singulis latitudine duoꝝ pedum, profundis uero aliquanto minus uiuario. In eo uiuario anguillae sunt et in plerisque lacubus ac fluuijs Insulae generantur. Ceteri pisces de mari subministrantur. Nam Mense Martio quotannis multitudo minutissimoꝝ piscium de mari proximo capta et amphoris aquae plenis inclusa iumentisque uecta uiuario ingeritur. Vocant huiusmodi pisciculoꝝ copiam menusam semen uidelicet ad instaurandam lacus piscationem: Expensa huius laboris est ferme aureoꝝ XXXX. ex his pisciculis succrescunt quatuor species, quartoque anno iam maturae sunt, Capulati seu capitones similes spinulis, qui XX. libras non excedunt. Muletti quos mugiles esse diximus, multo minores Gingini figura similes et adhuc minores, βύρινοι: siquidē graecis ranae paruae sunt, ne putet quis nomen nimium ab re diuersum esse. Tencae de mollium genere, late, caeteris ignobiliores. Hoꝝ piscatio retibus, quas bullesticas uocant, exercentur. Verum ipsae retium maculae ad eam mensuram comparatae sunt, ut pisces ob[t]unc neque minores elabi possint unacū anguillis uniuersis sic pisces, nūquā nisi maculae capacitatem excedant, capiuntur. sed anguillae crescente lacu, traijciuntur cum aquae decursu ꝑ memoratos ductus in exteriorem

piscin

piscinam: (quam uulgo mortis domū uocāt) tum aqua ꝑ arundinum raritates, sub ipsum piscinæ ingressum, quasi ꝑ cribrum effluente, anguillæ in piscinam ad= missæ in aquam nō admodum profundam labuntur ubi seruantur manuali reticulo capiendæ.

Cygni autem, qui in Insulis dudū memoratis nidificāt, piscibus et anguillis palustribus pascuntur. Pennarū quæ usui sunt scriptoribus, prouentus dat quotānis aureos quadragenos. uerum totius uiuarij annus redi= tus excedit triū numorū aureorū millia tanti enim loca= tur lacus conductoribus. uiuarij dominus est D. Ambro= sius de sancta pace, Tycodię Marchio, nūc autem ma= mertinorū stratigus.

Piscatoria Instrumenta

Instrumenta, quibus pisces capiuntur, quamuis uaria sint, ad quincuplicem tamen modum redigi posse puto. Eos enim aut retibus, aut Jaculis, aut hamo, aut concha, aut ueneno decipi certum est. Retium plura sunt gene= ra: Maximum, quod Thynnis ac magnis piscibus capi= endis paratur, Proximum, quod ꝑ nauiculam saxatū, suberibus in sūmo fluctu natantibus, plumbisq; sub sidentibus extensum in terram multo piscatorū conatu tractum, confert multiplices piscium species. Bolesticæ sunt retia minora fortasse ἀπὸ τῆς βολῆς, hoc est a iactu uocatæ, quæ proiectæ ꝑ aliquod spatium di= mittuntur, et in Scapham retrahuntur. lampadaria nos uocamus nauiculam, quę fert lampades, seu face in ferrea crate prominentem, sic noctu collustrato pro= fundo, piscator uisos pisces fiscina percutit, spinulas

Cernu

Cernuas, Mulettas, Acus, Beatos.

Est aliud retiarium instrumentum, quod nostrates pisca= tores uocant gangamum, forte quasi ἀ χαμὸν quod χαμαὶ hoc est humi trahatur. constat enim ex duo= bus semicirculis, uno ferreo, altero ligneo, quibus rete concauum insutum est: tum applicato fune ad capi= ta semicirculorū lentatoq;, de nauicula dimittitur, donec fundum attingat: mox acta in diuersū nauicu= la ꝑ rudentem anchorę alligatum, Instrumentoq; ꝑ fundum maris raptato, ferreo semicirculo harena, algamq; radente, ligneo superstante, Confertur in reticulum mulex piscium genus, cancri camari, bol= laces, conchę, polypi et alij. Gangium uocant uncū hastatū quo molliū genera trahuntur. Polparia constat e quatuor hamis in quorū medio sarda uel alio pisciculo apposito, polypi, a quibus denomi natur Instrumentum precipue capiuntur. Otranti ut opinor a uerbo δράττομαι, quod est apprendo, de= nominatum est aculeatū instrumentū habens plūbeū manubrium hamatis aculeis circūseptum funiculoq; alligatum. Tum manubio adipe ꝑuncto, instrumentū demittitur In profundum. Quo facto colligenes ac sepiæ adipem circumuenientibus tracto cum impetu fune, aculeis confixe producuntur, conchæ uimi= neę, quas uocant nassas, restibus demisse intus adescate, multas piscium species admittunt: quibus aditus ita comparatus est ut ingressis exitū neget.

Reticulū circulo insutum demergi solet tribus circi= ter in profundum pedibus, proiectaq; esca piscibus

alectis, cum impetu fune tracto eductum affert multã capturam Hamatæ, arundines, ac funiculi in altum proiecti, et cæteræ captiunculæ notiores sunt q̃, ut expositione indigeant.

Demum in sicilia sicut alibi fit inficj solent fluuiorum aquæ herba quadam uenenosa, quam taxum uocant ad capiedos fluuiatiles pisces.

Piscium Precia

Vis et audire piscium, qui nobis usui sũt, precia: ut exordiar à preciosioribus, Sues, Dottos, Alecciolas, lucios triglas Alosas esse nobis post Anguillas nri freti piscium preciosissimos: Horum rotulum uenit granis xij. Porro ut ponderũ nostratium ac preciorum rationem ppendas scito rotulum appendi uncijs 30 hoc est libris duabus ac semisse. rotulis centenis fieri cantharium. Ipsa autem qua utimur libram libram, equiualere ponderi aureorum 90. Quoad precij uero diuisionem, minimum denariũ esse numum æneũ, quẽ paruulum uocamus: sex paruulos conficere granũ: uiginti grana æquare tarenum: tarenos xii equiualere aureo scuto, quo utimur, Praeterea tarenos 30 uocari unciam. quam precij diuisionem ab auri partibus sumptam opinor. q apud maiores nros auri portiuncula, quæ grano tritici appenderetur sex paruulos ualeret: et pinde pondus auri quod tarenum uocant, ac xx granis tritici par est, ~~xx~~ uiginti quoq granis, hoc est tareno antiquitus uenire. uncia denique auri tunc tarenos 30 hoc est unciam ualeret postmodũ aurum indies (ut fit) euasisse preciosius: diuisiones tamen

tamen precij seruasse nomina respondentia antiquo auri ualori. sed redeo ad inceptum in proxima dignitate esse paguros, spinulas murenas, squillas, collagenes, Quorum rotulum uenire granis x. post hos auratas iuliolas, Gaiulas, sargos, congros, beatos, circellos, menulas, mupos, luuaros, mulettos, trachinas, dentatos, quorum uenire granis VIII.

Quartos in ordines facimus spathos, thynnos, cerneas, Acus, sardas, salpas, coruos, scorpenos, lapparas, quorum rotulum uenit granis VI.

Sub his Alaccias, sauros Pelamides, scombros, quorum rotulum uenit granis V. deinde bollaces, smidiras, curanellas, asellos, uopas, quorum rotulum uenit granis iiii

Monacellos sparsoculos et alios pisciculos uilissimos, corumq rotulum uenit granis iii uerum hos canones non usquaquaq seruari. Inter salsamẽta uero, preciosissima esse ὦ αταριχα quorum rotulum uenire tarenis quatuor.

Proxima in precio oua thynnorum quorum rotulum uenit tarenis tribus

Tertio loco Cauiariũ: cuius rotulũ uenit tareno et granis 15. Quarto Anguillæ fluuiales, quæ singulæ libram excedunt quarum rotulũ uenit tareno et granis 4 post has thynni et Anguillæ minores. quorum rotulum uenit gra xij Postremo sũt sardæ quæ singulæ ueneunt æneo paruulo: et Arenghe, quæ duplo, nõ qa meliores, sed qa maiores.

Monstra

Denique tanta est ludentis naturæ varietas in aquatiçis animantibus, propter humoris exuberantiam, ut nonnulli Tritones, Scyllas, Nereides, et cætera maris monstra minime esse fabulosa opinentur. Ea tamen in nostris maribus rarissima, tum innata versutia in profundissimis, tutioribusque locis degere. vidi ego Messanæ piscem mirabilis formæ captum ore horribili, pinnisque quasi manibus præditum. Retulit nobis Constantinus Lascaris vir græce, latineque peritus, patria Constantinopolitanus, se quondam ex urbe sua in Euxinum pelagus profectum, ibique in oppido quodam in ædibus viri cuiusdam ~~cum post cē~~, primatibus loci susceptum ac cœnatum. Cum post cœnam de suavissimo esculento, quod appositum fuerat, percontaretur ab hospite ad ædium inferiora ductum vidisse monstratum sibi piscem, quia capite umbilico tenus humanam pene figuram referret, postrema parte piscem: hunc columnæ alligatum bacillo percussum acutam vocem edidisse. Porro epulum, quod in mensa gustassem ex eius speciei piscem fuisse confectum. Hæc habui, quæ de nostratibus piscibus adde scribere. Ea tu meliora facies. habes Aristotelem, Plinium, oppianum. Habes Paulum Iovium, qui de Romanis piscibus scripserit non contemnendum. Postremo scies me non huic philosophiæ parti, sed mathematicis apprime disciplinis operam dedisse. Et proinde invitum ac non nisi iussu tuo compulsum,

hæc ut

hæc utcunque fuisse scripturum. Hoc tamen Hexastichon, quod in labore tui commendationem lusimus, spero non dedignaberis.

Francisci Maurolyci Messanensis
Hexastichon

Diversæ pelagi facies, et multa natantum
Turba fuit cæcis hactenus in tenebris.
Gillius ingenio fretus penetralia primus
Audet sacrarum pandere Nereidum.
Magnum erat alituum nidos, latebrasque ferarum
Maius inaccessi noscere monstra freti.

Vale

Messanæ in freto Siculo
Kalendis martijs
M D XL III

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE Mss

Cc. 11 modernamente numerate, di cui l'ultima è bianca

Ottobre 1916